Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1267

Quelle:
Copyright:



exiſtentiam ejus in ſepulcro et in Sacramento. Subtiliter igitur ex *Ariſtotelis* principiis ſtabilita opinione ſua concludit: *Nos ergo adherentes fidei orthodoxe et modo humano uolentes philoſophari ſecundum ea que tradidimus probabiliter incedentes ſecundum modum intelligentie nobis a deo conceſſe oſtendimus, quod non conuenit ponere plures formas. In quo finem imponimus huic libro quem intitulari volumus* contra gradus et pluritates formarum. *Laus ergo ſit ipſi chriſto* &c. L. I. c. 1. loquitur Autor *de hiis que tradidimus de ſtatu hominum egrotorum.* Quid igitur, ſi *Guilelmus de Morbecka* ſit, de quo ſupra meminimus, quique varia Medica de Graeco vertit, ut habes in *Scriptt. Ord.* T. I. p. 390. idque eo magis, quod ſub reſcripto, ut dixi, *Thomae* nomine, manifeſte litera G. adparet.

## DLXII.

R. 645 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 55. 8. ſat nitide perſcriptus et a. 1721. Bibliothecae Palatinae cum aliis hoc *Vol.* relatis traditus a *Thoma M. Alfano* O. Praed. inſcribitur: *Opus D. Thomæ Aquinatis De Eſſentijs*, in calce vero *Liber de Eſſentia eſſentiarum*, quem ideo Codicibus Theologicis adnumerare viſum eſt, quod ab *Eſſentia divina* tractationem orditur; hinc enim ad Phyſica, ad *Eſſentiam corporum ſuperceleſtium, elementorum, mineralium, plantarum, animalium* et *accidentium* digreditur. Licet vero mihi brevem eſſe per *Quetifum* et *Echardum*, qui T. I. p. 344. luculentis rationibus eum ab *Thoma* abjudicant, quas ibi vide. Init ille: *Magnifico principi ac Illuſtriſſimo domino ſuo N. primogenito regis ieruſalem et Sicilie — Cum prima cauſa et ſumma ex altitudine ſapientie ſue* &c. Pro *N.* in Codice *Coiſlin.* invenerunt Bibliothecarii praedicti *Roberto*, nempe *Caroli II. Claudi* filio, qui biennio poſt mortem *Thomae* natus fuit. In loco, quem illi excerpunt, fabuloſo de *Libro Abelis* nobis *fol.* 17. p. 2. rectius legitur *Hermes*, quam *Hermogenes; Hermeti* enim Theurgorum et Alchimiſtarum Vulgus ejusmodi ſtupenda tribuebat. Addam duobus illorum Locis excerptis tertium, nobis *fol.* 18. *Narrauit mihi etiam quidam, quod fecerit ymaginem de ſtanno, ſecundum quod in dicto* (Abelis) *libro precipitur, Luna exiſtente ſub 2da fatie aquarij non retrograda: et ſcripſit nomen domini ſiue Intelligentie lune, et fecit illa que erant neceſſaria ad ymaginem, ſecundum quod ibi precipitur, et volens deridere puellas cuiusdam opidi, poſuit dictam ymaginem in aqua et fonte ſub aqua illius opidi, et omnes vrcei et vaſa, que tangebant aquam, frangebantur.* An haec ab *Thoma Aquinate* expectes?

## DLXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3356 XIV. Folior. 93. 8. maj. parte priori per duas columnas minutiſſime,